



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvationes Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Quibus Univerſa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio I. An Deus ſit obiectum Theologiæ, deque aliis ad naturam  
Theologiæ ſpectantibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

DISPUTATIO PRIMA  
PRO OREMIALIS.

An Deus sit obiectum Theologiæ? & que aliis ad naturam Theologiæ pertinentibus.

Se io I. An, & quomodo Deus sit obiectum Theologiæ?

Sectio II. Soluuntur argumenta in contrarium.

Sectio III. Quibusnam actibus Theologia Deum & alia sua obiecta attingat?

Sectio IV. De habitu Theologico.

Sectio V. De Principijs ac locis Theologicis.

Sectio VI. De Necessitate Theologiæ.

**D**E materia proposita in titulo huius disput. disserit S. Doctor qu. i. quæ ad vniuersam Theologiæ summam præfationis loco est: & artic. primo docet sacram doctrinam, seu Theologicam, esse absolute necessariam: quia cum salus, & finis nobis à Deo propositus, excedat rationem naturalem, iuxta illud Isaia 64. *Oculus non vidit absque te, quæ preparasti diligentibus te: Ut finis ille possit à nobis cognosci & intendi, opus est diuina reuelatione, quæ rationem humanam excedit. Quare præter scientias Philosophicas, quæ humana ratione inuestigantur, necessaria est doctrina Theologica in diuina reuelatione fundata. Secundò, docet sacram illam doctrinam esse scientiam subalternam scientiæ Beatorum: quia procedit ex principijs notis summo superiori scientiæ Dei & Beatorum. Tertio, eandem esse vnam scientiam: quia vniuersa quæ ad illam pertinent, considerat sub vna formalis ratione diuine reuelationis. Quarto, esse simul & eminenter speculatiuam & practicam: magis tamen speculatiuam, quia principaliter agit de rebus diuinis, quàm de actibus humanis, de quibus disserit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit. Quinto, cæteris scientiis speculatiuis, & practicis nobilitate præstare. Speculatiuis quidem, propter maiorem certitudinem diuinæ reuelationis, in qua fundatur: est enim illa certior lumine naturali rationis humanæ, quo nituntur humanæ scientiæ: & propter maiorem dignitatem sui obiecti, quia est principaliter de iis quæ transcendant*

rationem naturalem. Practicis verò, quia practicarum scientiarum illa dignior est, quæ ad ulteriorem finem non ordinatur: sicut civilis, militari: nam bonum exercitus, ad bonum civitatis ordinatur. Finis hæc huius doctrinæ, in quantum est practica, est beatitudo æterna, ad quam sicut ad vltimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Sextò, hanc doctrinam esse simpliciter, & maxime sapientiam inter omnes sapientias humanas: quia Deum considerat, prout est altissima causa; non solum quoad id, quod de ipso per creaturas inuestigari potest: sed etiam quoad id, quod ipsi soli de se ipso notum est, & aliis per reuelationem communicatum. Septimò, Deum esse obiectum huius scientiæ, quia omnia in illa considerantur sub ratione Dei: vel quia sunt ipse Deus: vel quia habent ordinem ad Deum, vt ad principium & finem. Octauò, hanc scientiam non argumentari ad probanda sua principia, quæ sunt articuli fidei: sed ex ipsis alia deducere; & contra negantes ea tueri, vel ex concessis illos redarguendo, vel eorum rationes apparentes dissoluendo. Nonò, Scripturam sacram, cui præcipue nritur Theologia, conuenienter vti metaphoris, vt spiritualia sub similitudine corporalium tradat, & hominem à sensibilibus, ad intelligibilia prouehat. Decimò, in eadem Scriptura, & sub eadem litera, plures inesse sensus: literalem scilicet historicum, qui etiam interdum multiplex est: & spiritalem, seu mysticum, qui subdividitur in allegoricum, moralem, & anagogicum. Sensus literalis est prima significatio, quæ voces significant res. Mysticus verò est sensus fundatus in rebus primò significatis: quæ si referuntur ad mysteria Legis nouæ significanda, dicitur sensus allegoricus: si ad mores informandos, dicitur moralis seu tropologicus: si ad futuram gloriam præsignandam, dicitur anagogicus. Cùm enim auctor sacre Scripturæ sit Deus, qui non solum voces, sed etiam res ipsas ad significandum accommodare potest: proprium est in ista scientia, quod etiam res ipsæ significatæ per voces, aliquid significant. Illa ergo prima significatio, quæ voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est historicus, vel literalis. Illa verò significatio, quæ res significatæ per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super literalem fundatur, & eum supponit. Horum autem sensuum non est eadem vis ad probandum & Theologicè argumentandum: sed literalis, vel tota, vel præcipua: vt pote quæ à Deo Scripturæ auctore intenditur, adeoque verus, & infallibilis est. Cùmque Deus omnia simul intellectu suo comprehendat, potest secundum eandem litteram plures sensus literales intendere. Hæc D. Thom. quæ sequentibus sectionibus exponenda sunt.

SECTIO I.

An, & quomodo Deus sit obiectum Theologiae.

Theologia quid sit.

August.



Ota primò Theologiam, iuxta vocis etymologiam, idem esse ac rationem, seu considerationem, vel sermonem de Deo, vt notat D. August. lib. 8. de Ciuit. cap. 1. De Deo autem & de rebus diuinis dupliciter sermo vel consideratio esse potest. Nimirum vel ex lumine rationis naturalis; & hoc ad Metaphysicam siue ad Theologiam naturalem attinet: vel ex lumine reuelationis diuinæ; & hoc facit Theologia Christiana, simpliciter sic dicta, de qua nobis in præfenti est sermo, quamue deinceps Theologia nomine intellecturi sumus. Secundò, reuelatio diuina duplex est; vna est clara & euidenter facta, & secundum hanc procedit Theologia Beatorum, quibus principia reuelata, & quæ ab ipsis deducuntur, sunt euidenter nota. Altera est obscura & ineuidens; & secundum hanc procedit Theologia nostra, quæ Viatorum dicitur; quippe quibus diuina reuelatio obscurè facta est. Etenim communiter non habent homines hæc in vita notitiam de Deo & de rebus diuinis per reuelationem, nisi per testimonium obscurum & tantum credibile. Proptereaque Paulus Hebr. 1. 1. fidem desinit, substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium; id est, fundamentum sperandi id quod non habetur, & argumentum eorum quæ non videntur, per quod nimirum creditur ac certò tenetur, quod euidenter non cognoscitur.

Theologia sumitur tripliciter.

Tertiò hæc viatorum Theologia potest sumi tripliciter. 1. Strictè pro cognitione diffusiuâ earum veritatum quæ ex principijs reuelatis inferuntur. hæc acceptio vulgaris est. 2. Latius pro cognitione veritatis, tum ipsorummet principiorum reuelatorum, tum eorum quæ ex principijs reuelatis deducuntur. Sicut enim Metaphysica, & Physica non complectitur solum notitiam conclusionum; sed & principiorum que eiusdem sententiæ præcipua sunt, quæ in ea videntur & explicantur, sic Theologia complectitur non solum conclusiones quæ ex principijs reuelatis aptè deducuntur, sed etiam ipsa principia reuelata. Eòque sensu Theologia dicitur diuinam, seu supernaturalem in eitate, seu naturalem comprehendit, quæ aliquid amplius, nempe assensum & assensuum eorum omnium quæ ex dei principijs affirmatiue vel negatiue inferuntur. Hoc autem modo Theologia sumi docent Durandus 1. 1. Theologi Molin. q. 1. a. 2. disp. 2. Vasques disp. 10. o. n. 5. c. p. 2. et ad num. 4. Gillius lib. 1. tract. 1. c. 1. n. 5. & 217. De eademque, ratione notitia principiorum reuelatorum, intelligendum est quod ait D. Thomas 1. 1. in 2. Doctrinam

Durand. Molin. Vasquez Gillius

D. Tho.

sacram, seu Theologicam, ad salutem esse necessariam. Nam per doctrinam sacram intelligit fidem ipsam, seu notitiam serum à Deo reuelatarum: quidquid dicat Fozolus in 5. dubit. circa eundem art. vbi non bene supponit D. Thomam probare doctrinam sacram, vt distinguitur à fide, ad salutem necessariam esse; quia fides ad salutem necessaria est. Id enim est contra textum sensum apertum D. Thomæ, qui potius probat sacram doctrinam, sumptam pro ipsa notitia de Deo per reuelationem, id est, pro fide ipsa esse ad salutem necessariam: tum quia, inquit, homo ordinatur ad Deum, velut ad quandam finem qui comprehensione rationis naturalis excedit, ideoque debuit per reuelationem innoscere, vt homo ad illum actiones suas & intentiones ordine. Tum etiam quia ad ea ipsa quæ de Deo naturaliter cognosci possunt, & ad salutem necessaria sunt, pauci pertingunt, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum. Ideoque reuelatio necessaria fuit, vt salus hominibus & conuenientius & certius proueniat. Hæc S. Thomas: quæ manifestè ostendunt ipsum per doctrinam sacram, intelligere hoc loco doctrinam habitam per diuinam reuelationem, id est, fidem ipsam.

Tertiò denique sumitur laxissime pro cognitione tum ipsorum reuelatorum, quam eorum quæ deducuntur ex reuelatis, & multorum aliorum quæ ad reuelata mediata, vel immediatè confirmanda, vel explicanda conferunt. Qualis est Theologia D. Thomæ, aliorumque Doctorum in libris tradita. Enimuerò Theologia quæ nihil aliud comprehenderet quam per se reuelata, & quæ ex ipsis inferuntur, ab esset plurimum à doctrina D. Thomæ, aliorumque Theologorum Scholasticorum, qui ad illustranda & tuenda reuelata, non solum quædam naturalium scientiarum principia, sed & multa credita tantum vel opinata conferunt. Neque tantum ratiocinantur ex principijs reuelatis; verum etiam interdum ex altero reuelato, & altero naturali: interdum etiam ex meris naturalibus. Et quamuis ea quæ assumuntur à Theologia ex Physica & humana cognitione, non sint per se Theologica, eo sensu quo hic loquimur de Theologia, propria scilicet & Christiana, quæ circa reuelata & illata ex ipsis, occupatur: induunt tamen rationem quandam Theologicam, quatenus ex affectu credulitatis adhibentur ad illustranda & defendenda sacra dogmata, atque ad impedimenta remouenda, & adiumenta qualicumque subministranda reuelatis & credibilibus diuinis utilia sunt. Ac quemadmodum ea quæ impendantur à charitate in finem ipsius, sunt aliquo modo charitatis, sic naturalia quæ adhibentur ex affectu credulitatis, & ad ipsa credibilia confirmanda referuntur, induunt quandam rationem Theologicam.

Nota secundò ex Durando in Paolo q. 5. num. 6. & Vasquez disput. 10. cap. 1. hoc inter obiectum & subiectum alicuius scientiæ, Vasq.

Durand. Vasq.

Subiectum & obiectum scientiæ quid sint, & quomodo differant.

seu cognitionis interesse; quod subiectum (non in quo, seu in hætionis, de quo non loquimur, quodque sine dubio est intellectus respectu Theologiæ & cuiuslibet alterius habitus in intellectu) sed subiectum circa quod, seu cognitionis, si proprie loquamur, est id de quo aliquid scitur seu cognoscitur. Obiectum verò est id totum quod scitur seu cognoscitur; quod comprehendit id de quo aliquid cognoscitur, & id quod de eo cognoscitur, & habitudinem huius ad illud, & veritatem seu affirmativam seu negativam, quæ in duorum illorum coniunctione aut disjunctione iacet; ac denique illationem, & methodum, & ordinem cognitionis rerum: quod totum verè ac proprie obiectum nominatur, quia totum cognitioni obicitur. Non est autem idem simpliciter id de quo aliquid cognoscitur, & id quod de illo cognoscitur. Nam de aliquo cognosci possunt attributa eius diversa, & distincta à parte rei. Neque est vnicus cognoscendi modus. Potest enim cognosci cum illatione, tum sine discursu. Item secundum diversas rationes seu modos cognoscibilitatis, euidetis scilicet, vel credibilitatis, vel probabilitatis, mediata aut immediata. Duo enim vniuersum cognitionum genera sunt. Vnum immediatum, eorum quæ per se sine discursu; alterum mediatum, eorum quæ per aliud, seu per discursum innotescunt. Quorum vtrumque subdividitur trifariam, in euidens, credibile, & tantum opinabile seu probabile. Rursum in subiecto duæ rationes distinguendæ sunt, materialis scilicet, nempe res quæ consideratur: & formalis, id est, ratio ab qua consideratur. Et rursum vtrumque, tam subiectum quam obiectum, in totale & partiale: & hoc in principale, & minus principale distingui potest, vt ex Logica notum est.

Subiectum & obiectum Theologiæ.

His suppositis dico primò: si Theologia primo modo sumatur pro cognitione discursiva eorum quæ ex principiis reuelatis inferuntur, eius subiectum totale est id omne de quo aliquid per discursum ex principiis reuelatis cognosci potest. Obiectum verò totale est id omne quod ex principiis reuelatis per discursum cognoscitur. Si secundo modo sumatur pro cognitione tum ipsorum principiorum reuelatorum, tum eorum quæ ex ipsis deducuntur; siue, quod idem est, pro cognitione reuelatorum, vel immediate & per se; vel mediate in principiis ex quibus inferuntur; eius subiectum totale est id omne de quo aliquid mediate vel immediate reuelatum est. Obiectum verò, quidquid per reuelationem immediate vel mediate cognoscitur. Si denique tertio modo sumatur pro cognitione tantum ipsorum reuelatorum, quam eorum quæ deducuntur ex reuelatis, & multorum aliorum quæ ad reuelata inferuntur, vel mediate, confirmanda vel explicanda conferunt; eius subiectum totale est id omne de quo aliquid; obiectum verò, id omne quod secundum illam rationem cognoscitur: nempe vel quatenus reuelatum mediate vel immediate, vel ad reuelata seu confir-

manda, seu explicanda aut defendenda conferens. Quæ assertio tota satis liquet ex duabus notationibus præcedentibus.

Dico secundo, subiectum materiale Theologiæ esse Deum, Angelos, Homines, eorumque actus, & finem supernaturalem, & media quibus ad illum tendunt, eorumque opposita, & cætera omnia de quibus disputat Theologia. Formale verò esse diuinam reuelationem, quatenus omnia in Theologia quomodocumque sumpta, considerantur; vel vt sunt reuelata mediate aut immediate: vel quatenus ad reuelata illustranda & confirmanda conferunt. Prima pars huius assertionis est D. Thomæ, tum initio quæstionis 2. vbi assertit principale (non totalem) intentionem Theologiæ esse, Dei cognitionem tradere: & non solum secundum id quod in se est, sed etiam in quantum est principium creatorum, & finis eorum, ac præcipue rationalis creaturæ. Tum in toto decursu Summæ Theologiæ, in qua de omnibus in conclusione commemoratis exactissime disputat. Idemque sancto Pp̄o cæteri Theologi comprobant, vt præter ipsam experientiam manifestam aliud quæret argumentum superfluum ac inane sit.

Secunda verò pars est eiusdem D. Thomæ, quæst. 1. artic. 3. in fine corp̄ ubi assertit, quæ sunt diuinitus reuelabilia communicare illi vna ratione formali obiecti huius scientiæ: nempe in reuelatione, à qua tanquam à ratione formali ibidem ait petendam esse vnitatem huius doctrinæ. Idem expressius docuit quæst. 1. in prologum 1. sentent. artic. 4. in corp̄. vbi ait ens diuinum cognoscibile per inspirationem, id est, per reuelationem, esse subiectum huius scientiæ. Omnia enim, inquit, quæ in hac scientia considerantur, sunt aut Deus, aut ea quæ ex Deo & ad Deum sunt, in quantum huiusmodi sicut Medicus considerat signa & causas & alia, in quantum sunt sana. Per hoc etiam differt Theologia à Metaphysica, Physica, Ethica, & aliis scientiis, quæ de Deo, de Angelo, de homine, de moribus, & aliis agunt, quæ ac Theologia; sed sub diuersa ratione quam Theologia, quæ illa non considerat, nisi quatenus aliquo modo subiaccet reuelationi diuina.

Sic et id, subiectum principale Theologiæ, & quodammodo totum per attentionem, quatenus cætera omnia ad ipsum aliquo modo referri possunt, esse Deum sub ratione deitatis, & aliorum attributorum, quæ illi necessarid aut contingit conueniunt. Cuiusmodi est ratio principij & finis creatorum: non tamen esse absolute & simpliciter totale; sed alia esse per multa de quibus Theologia multa considerat. Sicut totale obiectum non est Deus solum, & ea quæ de ipso cognoscuntur, sed alia plurima comprehendit quæ de Angelis, de homine, de moribus, de Christo, de Sacramentis, aliisque multis considerantur. Hæc assertio est D. Thomæ, tum verbis proximè citatis: tum part. 1. qu. 1. artic. 7. in corp̄ ubi dicitur Deum

Subiectum Theologiæ materiale & formale.

D. Thomæ.

7

Subiectum principale Theologiæ, & totale per attentionem, esse Deum.

D. Thomæ.

esse subiectum huius scientiæ, & in sacra doctrina considerari omnia sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum vt ad principium & finem. Quod de subiecto principali, & totali tantum per attributionem, id est, per ordinem & relationem cæterarum partium ad ipsum, intelligendum est; vt patet eodius quæ initio secundæ quæstionis addit, cum ait: non totalem simpliciter, sed tantum principalem intentionem doctrinæ huius esse, tradere Dei cognitionem, non solum secundum id quod in se est, prout vnus & Trinus est; sed etiam secundum id quod est principium rerum & finis earum, & specialiter creaturæ rationalis. Ibidemque D. Thom. Theologiam vniuersam in tres partes distribuit, nempe in eam quæ agit de Deo, & in eam quæ agit de motu, seu tendentia creaturæ rationalis in Deum, & in eam quæ de Christo, qui nobis via est per quam in Deum tendimus.

Ordo & distributio Theologiæ D. Thom.

Iuxtaque eandem partitionem summam suam Theologiam tres in partes diuisit. In quarum prima disputat de diuina essentia, eiusque attributis, de personis diuinis, & de processione creaturarum à Deo. In secundâ, de fine vltimo, qui est Beatitudo, & de virtutibus per quas ad finem tenditur, & in quibus exercendis irigimur per legem, & per gratiam iuuamur. De his autem & eorum oppositis differit primò generatim 1<sup>a</sup>. 2<sup>a</sup>. id est priori parte secundæ partis in duas subdiuisas: vbi de actibus humanis, de peccatis, de legibus, de gratia, de merito: Deinde in particulari 2<sup>a</sup>. 2<sup>a</sup>. vbi de fide, spe, charitate, deque prudentia, cæterisque virtutibus Cardinalibus, atque earum speciebus & partibus. In tertiâ demùm de Christo & de Sacramentis, deque vita immortalis quam per Christum assequimur. Cuius distributionis hæc potest esse ratio. Quia cum Theologiæ sit agere principè de Deo, non secundum se tantum, sed etiam vt principio, & fine nostro; debet consequenter agere de medijs quibus ad eum peruenire possumus. Hæc autem mediâ duplicia sunt. Quædam sunt in nobis, nempe virtutes & actus nostri: quædam extra nos, scilicet Christus & Sacramenta. Rursum hæc potest spectari dupliciter. Primò secundum intentionem, disputando de fine qui intendendus est, eiusque rationem & condiciones explicando. Secundò potest considerari secundum attributionem, quatenus obtinetur ipsa, & actus per se, de cuius finis est. Priori modo de fine disputat D. Thomas primis quæstionibus secundæ partis: Posteriori, in additionibus ad tertiam partem; quam morte præteritis imperfectam reliquit.

Subiectum principale scientiæ quodammodo.

Dixi, Deum esse subiectum Theologiæ, non modo principale, sed etiam quodammodo totale per attributionem: Pro quo aduerte, nomine subiecti principalis alicuius scientiæ intelligi potest vel illud quod inter omnia eius subiecta partialia dignitate præeminet, vel illud quod non solum requis nobilitate

præcellit, sed etiam est eiusmodi, vt cætera omnia referantur ad illius cognitionem, neque aliter cadant sub scientiam, quam vt eius notitia plena & perfecta habeatur. Quo pacto Philosophi dicunt corpus naturale esse subiectum principale Physicæ; & corpus humanum, vt sanabile, siue salutem, vt recuperandam aut conseruandam, esse subiectum principale medicinæ. Quod et subiecta sunt talia, vt non modo præcellant dignitate omnibus alijs, quæ in eiusmodi scientijs considerantur: verum etiam, hæc ad illorum notitiam referantur ex intensione propria talis scientiæ. Atque ea de causa subiectum illud vocatur etiam totale per attributionem; & subiectum adæquatum, partim directum siue in recto; partim indirectum, siue in obliquo: quia in omnibus scientiæ propositionibus, vel sit subiectum per se & directè; vel indirectè, quatenus si quid aliud est subiectum alicuius propositionis, refertur ad notitiam illius.

Quo sensu Deus & subiectum principale Theologiæ, & quodammodo totale.

Priori modo Deum esse subiectum principale Theologiæ, id est, præstantius omnibus alijs partialibus eius subiectis, manifestum est. At verò esse quoque totale per attributionem, & principale secundo modo, non est in rigore philosophico accipiendum: Ideoque consulto addidit in conclusione particulam, *Quodammodo*. Nam Deus siue secundum se spectatus, vt vnus & trinus, siue etiam vt principium & finis creaturarum, præcipue intellectualium; non ita se habet ad reliqua Theologiæ subiecta, sicut ea, quæ in scientijs dicuntur esse subiecta totalia per attributionem, se habent ad cætera omnia quæ in illis tractantur. Ex. gr. Corpus naturale dicitur esse subiectum Physicæ principale, & totale per attributionem; quia quæcunque alia considerantur à Physica, sunt vel species illius corporis, vel eius partes, aut principia & causæ; vel proprietates & affectiones naturales, vt motus, locus, quantitas &c. Quæ affectiones sunt quasi secundarium esse corporis naturalis. Ideoque non mirum est, si corpus naturale dicitur in illis, & per illas cognosci: & tum illa, tum alia commemorata, quatenus considerantur à Physica, quatenus est necessarium ad habendam plenam & perfectam notitiam corporis naturalis. At Theologia, prout à D. Thoma & ab alijs communiter tractatur, non ita spectat in ordine ad Deum quidquid aliud considerat. Nam v. g. de Angelorum natura & proprietatibus, vel affectionibus naturalibus & supernaturalibus, & de Christo, non minus per se disputat, quam Physica de corporibus naturalibus: Et de virtutibus & vitijs, deque actibus humanis secundum rectam rationem dirigendis, non minus per se tractat, quam Philosophia moralis.

Nec obest quod ex notitia Angelorum alique reflexiones fieri possunt ad Deum melius cognoscendum; aut quod actiones bonæ sunt viæ ad Deum consequendum, vt notatum

finem vltimum, & summum bonum. Nam reflexione illa quæ à notitia Angelorum ad Deum cognoscendum sunt, sunt nimis remota. Parique ratione dicitur vniuersam Philosophiam habere pro subiecto Deum, vt Deum: quia nihil est in Philosophia, quod ad Dei naturalem notitiam referri non possit, tam propria notitia, ac referuntur ad Deum. Ita quæ de Angelorum natura & proprietatibus considerantur in Theologia. Pari quoque ratione dicitur, Deum, vt finem nostrum & beatitudinem naturalem, esse subiectum Philosophiæ moralis: quia actiones humanæ quæ per illam diriguntur, sunt viæ ad assequendam beatitudinem naturalem. Concludo itaque subiectum totale per attributionem vniuersæ Theologiæ latius patere in rigore philosophico. Quodque dicitur communiter Deum esse tale subiectum, debere in sensu morali solum intelligi. Nisi potius id dicatur de Theologia strictius supra; & versante tantum circa reuelata per se, id est, ex primaria & principali Dei intentione, quæ corpus fidei substantiale constituunt; & circa ea quæ ex illis deduci possunt, aut per se ad illa pertinent; & de Deo non solum, vt vno & trino, verum etiam, vt Incarnato, & prout est principium & finis creaturarum, præcipue rationalium; ab his amandus, querendus, & obtinendus per opera bona, virtutum supernaturalium exercitium, obseruantiam legum diuinarum, gratia, auxilia, sacramenta, & alia media ab ipso constituta: In quibus explicandis versatur vniuersa Theologia. Existimo enim Christum, & tendentiam creaturæ intellectualis ad Deum illi propositum in finem supernaturalem, per media ab ipso ordinata, pertinere ad principale obiectum fidei theologicæ. Cum tam multa de Christo reuelata sint, totumque vetus Testamentum ferè occupetur in scribenda Christi genealogia, ipsiusque vitæ mysterijs per varias figuras representandis. nouum autè maxima ex parte ipsius gesta, miracula, prædicationes, præcepta, consilia, & exhortationes contineat. Tota etiam scriptura vtriusque Testamenti eò quodam modo referatur, vt viam salutis nos doceat, iuxta illud Apostoli Rom. 15. v. 4. *Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, vt æterna scilicet, quæ principale spei subiectum est.*

## SECTIO II.

*Soluntur argumenta in contrarium.*

D. Thom.  
mas.

Contra doctrinam præcedentem non sentit D. Thom. q. 1. art. 7. cum ait absolute Deum esse subiectum Theologiæ. Nam quod loquatur de principali tantum, & totali non absolute, sed per attributionem, sa-

tis indicant, tum quæ superius ex ipso adduximus, tum rationes quibus ibidem assertionem suam confirmat. Prima est: quia illud est obiectum potentia vel habitus, sub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam, vel ad habitum; Deus autem est, sub cuius ratione considerantur omnia quæ tractantur in Theologia, quatenus vel sunt ipse Deus, vel ad Deum referuntur: Ergo &c. Cuius argumenti maior de obiecto totali tantum per attributionem, & ad quod tanquam principale cætera referuntur, intelligenda est. Nam absolute obiectum totale alicuius potentia vel habitus, est id totum quod ipsi obijcitur: quod præter id ad quod cætera referuntur, complectitur illa ipsa quæ referuntur. Quidquid enim obijcitur, verè rationem obiecti habet, siue ad aliud referatur, siue non; & siue alterius relationem terminet, siue non.

Secunda est, quia idem est subiectum principiorum & scientiæ totius: cum tota scientia virtute contineatur in principijs. Deus autem est subiectum articuloꝝ fidei, qui sunt principia Theologiæ: Ergo, &c. Cuius syllogismi minor de subiecto totali absolute, & ad quod fidei intelligi non potest: cum manifestum sit de Christo, de Sacramentis, de actibus humanis, alijsque permultis, multa diuinitus fuisse reuelata, quorum & dei articuloꝝ nos Deus ipse secundum se, sed illa sunt subiectum. Male igitur Vasq. Caiet. Bann. & alij quidam ad artic. D. Th. cit. his rationibus, & auctoritate Doctoris Sancti contra nos abutuntur. Quod autem aiunt, id esse subiectum in aliqua scientia, cuius causæ, principia, proprietates, & species si quas habet, explicentur in illa: est similiter intelligendum de subiecto generali, sub quo continentur aliquo modo omnia quæ trahuntur in scientia: non de totali simpliciter & absolute, quod præter illud comprehendit cætera omnia de quibus per se disputatur: Esto, in ordine ad illud. Atque ita corpus naturale v. g. est quidem subiectum generale Physiæ, & totale per attributionem: absolute verò illa non solum de corpore naturali in genere, aut in specie de coelis, de elementis, de mixtis inanimatis & animatis disputat: sed & de singulis eorum partibus, & de eorum accidentibus, modis, & proprietatibus: vt de materia, forma, vniuerso, modo, loco, tempore, quantitate, de generatione, de anima, & alijs huiusmodi: propter illa quæ sunt, sed nihilominus per se, & secundum propriam cuiusque rationem.

Ex opposito verò ad probandam non posse Deum esse subiectum principale Theologiæ, & totale per attributionem, obijci potest primo, nullam scientiam probare de suo subiecto an sit, & quid sit: sed illa duo supponere, vt docet Arist. primo Post. cap. 1. At Theologia probat de Deo an sit, & quid sit: ergo Deus non est subiectum Theologiæ. Secundò ad quamcunque scientiam alicuius subiecti pertinet cognoscere omnia, quæ illi

11.

Vasques  
Caietanus  
Bannes.

12.  
Obiectio  
in articulis

conueniunt, aut conuenire possunt. At hoc est impossibile respectu Theologiae: 1. Quia quae Deo conueniunt, aut conuenire possunt, infinita sunt. Theologia uero est scientia finita: 2. Quia cognoscere quaecunque Deo conueniunt, aut conuenire possunt, est Deum comprehendere, id est, ipsum cognoscere, quantum cognoscibilis est. At Deus est incomprehensibilis omni habitui, & intellectu creato.

13. Vasquis solutio.

Ad Primum respondet Vasq. disp. 10. cap. 7. Theologiam ex proprijs suis principijs, quae sola reuelatione nota sunt, non probare ratione aliqua duo illa, An, & quid Deus sit: sed ita supponere Deum esse, & Deum esse primum ens, omnium rerum principium & causam; sicut esse trinum & unum, & reliqua principia, quae dicuntur articuli fidei. Theologum tamen aliunde, tanquam Philosophum, rationibus à posteriori probare Deum esse, & esse unum: eò quod inter pessimos homines non desint qui negent Deum esse, aut unum esse. Et paulò post ait, quamuis fides doceat Deum esse, & esse unum: ita tamen duo non numerari inter articulos fidei apud omnes, sed inter necessariò requisita ad articulos, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 1. a. 5. ad 3.

14. Non satisfaci.

Theologia probat sua principia.

Hæc solutio mihi planè non satisfacit. Nam Theologia latius sumpta secundo modo supra explicato, prout non tantum conclusiones, sed & ipsa principia fidei comprehendit, quo pacto eam sumi posse fatetur ipse Vasq. disp. 10. n. 9. iuncto num. 4. atque etiam sumpta tertio modo è tribus supra explicatis, probat sine dubio ex principijs proprijs, id est, ad ipsam ita consideratam pertinentibus, Deum esse, & ipsum esse unicum, primum ens, principiumque & causam cæterorum omnium. Ad hoc enim probandum efficaciter, habet diuinam reuelationem munitam grauissimis argumentis credibilitatis, quibus Deus sufficienter credibile fecit se reuelare quod sit, & quod talis, tantusque sit. Reuelationes autem diuinæ credibiliter factæ sunt unum è principijs Theologiae, tertio modo, inò & quouis alio modo sumpta è tribus supra propositis. Sic enim Theologia argumentatur: Quicquid Deus reuelauit, uerum est. Sed Deus hoc reuelauit, patet se unum esse, ergo &c. Vbi uides reuelatione esse in minori propositione, tanquam alterum principium conclusionis deductæ: quod principium quia non est per se notum, debet uicem accipere ab argumentis credibilitatis, quibus Deus sufficienter credibile fecit se reuelare. Item Theologia tertio modo sumpta complectitur ea omnia quae iuuant ad probanda & confirmanda, uel ad illustranda & explicanda fidei dogmata: ergo complectitur principia naturalia, seu rationes naturales, quibus efficaciter probat contra Athes, & Polytheos, Deum esse, & unicum esse, & consequenter esse primum ens, principiumque & causam cæterorum, æternum, immensum, omnidiscium, optimum, omnipotens, & in omni genere perfectissimum.

Aliter ergo respondeo, Arist. loco cit. loqui de scientia strictius sumpta pro notitia conclusionis deductæ euidenter ex principijs euidentibus, & à priori; id est, ut ipsomet ibidem exponit, pro notitia parta per demonstrationem perfectam, ex ueris, primis, immediatis, prioribus, & notioribus, & causis conclusionis. Quæ conclusio, seu notitia ista, non potest præmissas, seu principia ex quibus deducitur, sed illa præsupponit esse nota & euidencia, ut ab illis euidenciam hauriat. In illis uero præmissis, seu principijs, includitur subiectum conclusionis, & definitio subiecti, quæ est medium potissimum demonstrationis à priori. Ideoque conclusio præsupponit de subiecto suo, quod sit, & quidnam sit. At uero scientia latius sumpta, ut nunc non sumitur Theologia, post Molinam, Vasq. & Durand. sup. cit. prout etiam comprehendit ipsa principia quæ tradit, exponit, & confirmat (quo sensu Arist. 1. de celo cap. 1. sumit scientiam Physicæ, cum ait, Physicam circa principia naturalia uersari, & non tantum circa conclusiones deductas ex principijs) hoc, inquam, sensu falsum est, scientiam non probare de suo subiecto an, & quid sit. Maxime uero scientiam illam quæ prima est, & nullam se priorem & superiorem habet, à qua accipiat, sua principia probata & illustrata. Cuiusmodi est Theologia Christiana, secundo & tertio modo sumpta: & Theologia quoque naturalis, seu Metaphysica. Ad hoc uero nihil refert fitno articulus fidei necne quod Deus sit unus; quia de hoc dicemus alibi: nam cum utraque ueritas sit fundamentum reliquorum quæ ad eam, & ad Theologiam pertinent; incumbit maxime Theologiae utramque illam ueritatem accuratè & efficaciter confirmare; quod nos suo loco, cum Dei ope, facerè conabimur, exemplo D. Th. q. 2. & 11. aliorumque Theologorum.

15. Vera solutio.

Quomodo scientia supponat suum subiectum.

Aristot.

16. Gregor.

Ad secundum argumentum desumptum ex Greg. q. 4. prologi a. 2. in probatione secundæ conclusionis, Respondeo, antequam deus non esse uerum, nisi de scientia quæ sit suo subiecto commensa & adæquata. Cuiusmodi non est Theologia respectu Dei: quippe qui infinite nostram omnem cognitionem excedit. Quare neque proficitur Theologia tradere adæquatam illius cognitionem, sed tantum ea de illo inuestigare, quæ partim lumine diuinæ reuelationis, partim etiam lumine naturali, possunt hac in uita cognosci de Deo, prout in se est, & prout est principium & finis creaturarum: præcipueque finis noster supernaturalis, ad quem Theologia Christiana collimat.

SECTIO III.

QUIBUSNAM ACTIBVS

Theologia Deum, & alia sua obiecta attingat?

Conclusio: Actus quibus Theologia quocumque sumpta, Deum & alia sua obiecta attingit, sunt multiplices. Primo

17.



Actus Theologici sunt multiplices, rationales, quam supernaturales.

enim circa principia reuelata, & proprie Theologica, est multiplex assensus, tum naturalis, tum supernaturalis. Secundo circa principia naturalibus adfectibus, & minus proprie Theologica, siue euidencia, siue credibilia, siue tantum opinabilia, est actus multiplex scientiae, fidei, vel opinionis. Tertio, circa conclusiones deductas ex principis, vel abstractis, vel alijs, multiplex item est: & interdum actus credendi, diuersus tamen ab actu fidei supernaturalis, atque illo inferior: interdum opinandi, interdum euidenter ac proprie sciendi: prout scilicet conclusiones illae vel ex credibilibus, vel ex probabilibus, vel ex simpliciter euidentiis, certa, probabili, vel euidenti consequentia, deducuntur. Vnde sicut obiectorum, sic & assensuum, & discursuum Theologicorum magna varietas est.

18.

Prima pars conclusionis, quoad assensum supernaturalem, est communis Theologorum 2. 2. q. 1. & 2. admittentium circa diuinas reuelationes credibiliter factas, actum & habitum fidei, supernaturalem quoad substantiam, seu entitatem suam: hoc est, talem, vt neque illum ipsum, neque illi similem in specie possint causa naturales viribus solis naturalibus efficere, ac ne quidem dispositione attingere: nique sit eiusdem ordinis cum visione beatifica, & lumine gloriae, quae in patria respondent actibus & habitibus fidei huius vitae. Quales item sunt spes, & Charitas, vna cum fide, in iustificatione infusa, & actus ipsius proportionati, de quibus Trid. sess. 6. cap. 6. & 7. & can. 3. vbi de illis actibus sic pronunciat: *Si quis uixerit sine praesente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Triden.

19. Molina Bellam. Conink. Sotus Grad.

Actus naturalis uel fieri circa obiecta supernaturalia & reuelata.

Quoad assensum uero naturalem eadem pars est Molinae in concordia ad quart. 14. primae partis a. 13. disp. 7. Bellarmini lib. 6. de gratia & libero arbitrio. cap. 3. Augustij Conink disp. 14. de fide. dub. 2. Domin. Soti lib. 2. de gratia. cap. 8. Granad. p. 1. tract. 1. disp. 5. num. 17. & aliorum plurium, qui asserunt circa res diuinitus reuelatas sufficienter propositas, & factas euidenter credibiles per miracula, vel alia motiua sufficientia posse dari actum non modo opinionis, uerum etiam fidei naturalis, id est, assensum sine dubitatione & euidencia. Probatur, quia intellectus uiribus naturalibus potest, auctis uocibus significantibus articulos fidei, & reuelationes diuinas, formare apprehensionem eorum quae uocibus significantur. Potest etiam naturaliter apprehendere & perpendere vim motiuorum, & praeponderantiam praeratiuorum rationibus apparentibus. Quare potest eo duci, vt sit in actu primo proxime potens ad assensum elicendum, etiam certum, prout motiua existunt, & consequenter illum elicere si velit. Quod ulterius confirmatur, quia intellectus conaturaliter plus habet rationis ex moti-

uis ad assentiendum articulis fidei, licet in se obscuris; quam multis, etiam falsis, quibus cum minori ratione passim assentitur, etiam sine formidine. Quod si quae sint difficultates in obiecto fidei: & potest eas non uidere; & si videat, potest iudicare euidenter esse postponendas tot & tantis motiuis. Ergo habet antecedenter conaturalia requirita & sufficientia ad assensum articulorum fidei: ergo poterit illum elicere conaturaliter cum solo Dei concursu generali. Confirmatur ulterius. Nam in Iudaeis incredulis non erat amplius fides diuina & supernaturalis, quam crederent, etiam ea quae a maioribus accepterant: & tamen in eis erat fides & persuasio humana quam credebant multa reuelata & difficilia, quae ueteri Testamento continebantur. Et nunc Haeretici, licet multis fidei dogmatibus adhaereant, non tamen per actum fidei supernaturalis, quam non minus actuali, quam habituali carent, quando uoluntarie persistunt in infidelitate, quae iuxta legem ordinariam, cum fundamento congruitatis in re, opponitur incompatibiliter fidei supernaturali: ut & desperatio, spei; & quoduis peccatum mortale, Charitati & gratiae conformiter ad definitionem Concilij Trid. sess. 6. cap. 13.

20. Arausican. Tridentin.

Aduersus haec nihil faciunt, quae obijciunt aliqui ex Concilio Arausicano can. 5. & 7. quae non de quouis actu fidei, sed de ualente ad iustificationem & salutem sunt intelligenda, ut idem Concilium exponit can. 25. & clarius Trid. sess. 6. can. 3. Nihil etiam proficit argumentum quorundam, quod actus naturalis non possit esse circa obiectum supernaturale: cum actus sumat speciem ab obiecto: unde uidetur fieri, vt actus qui circa obiectum supernaturale versatur, debeat esse supernaturalis. Ad hoc enim dicendum est, actum quidem habere speciem in ordine ad obiectum: sed non constitui per illud intrinsece, neque deberi ei eiusdem naturae. Potest enim actus creatus uersari circa obiectum increatum: & actus accidentaliter, circa obiectum substantiale. Sapeque fit vt actus malus habeat obiectum bonum, vt odium uirtutis: & contra, bonus actus obiectum malum, vt odium uitijs. Ceterum obiectum supernaturale, cuiusmodi sunt soluta reuelata, non uentret in notitiam hominis, nisi annunciaretur: nec potest credi, nisi sufficientibus argumentis credibilem reddat. Mediane tamen annunciatione, potest de carnis uiribus solis naturalibus ab intellectu concipi; & iuuantibus argumentis quibus sufficienter credibile fit, potest credi. Neque propterea superfluum est actus fidei supernaturalis, sed plane necessarius, vt disponat ad iustificationem & ad alios actus supernaturales, utque diuino testimonio supernaturali derur auctentis conueniens, & proportionatus ipsius maiestati, ac sicut supernaturali ad quem fides distinguitur. Actus enim naturalis non est tanta perfectioris, ut illis proportionetur. Ideoque Arausicanum & Trid. locis citatis.

requirunt actum fidei naturæ viribus superiores.

21. Quòd verò vterque actus; naturalis & supernaturalis, circa principia reuelata sit multiplex, probatur ex multitudine principiorum reuelatorum, quæ attinguntur secundum se & seorsim, diuersis actibus, tam naturalibus, quam supernaturalibus. Alius enim actus est, quo cognoscimus Deum esse trinum: alius, quo Christum esse Deum &c. Actus autem qui attingunt secundum se obiecta adæquata diuersa, sunt diuersi, cum sint essentialiter obiectis proportionati, & vitales eorundem expressiones, vt contra Caiet. & Banne confirmabitur amplius sectione sequenti.

Reliquæ partes conclusionis faciles sunt. Constat enim præmissas, quæ adsciscuntur à Theologis & rationibus & testimonijs humanis, interdum esse euidentibus, & interdum credibiles, vel tantum opinabiles; circa quas assensus ipsis proportionatus elicitur. Constat etiam conclusiones Theologicas interdum deduci ex principijs credibilibus tantum fide diuinâ vel humanâ: interdum ex euidentibus: idque vel solis, vel permixtæ, partim ex probabilibus, partim ex certis aut euidentibus. Cum autem ambæ propositiones præmissæ sunt simpliciter euidentibus, conclusio ex illis deducta euidenti, & bona illatione, est simpliciter euidentibus, cum credibiles, & credibiles: cum probabiles, probabilis; iuxta commune axioma Dialecticorum; *Syllogismus demonstratius parit scientiam, topicus opinionem.* Sin autem altera præmissa sit tantum opinata, vel credita; licet altera sit euidentibus, non potest circa conclusionem esse assensus euidentibus, sed opinio tantum vel fides. Conclusio enim sequitur debiliorem partem: neque potest plus esse certitudinis vel euidentibus in eo cui assentimur propter aliud, vt sic: quia sit in illo propter quod assentimur, & quo totus assensus in gradu suo pendet.

23. Actus Theologicus strictè superioris gradus sit.

Porro sicut Theologia strictè & magis propriè sumitur pro cognitione habituali discursiua, earundem veritatum, quæ ex principijs reuelatis deducuntur; sic actus Theologicus strictè & magis propriè est deductio, seu illatio & conclusio illata, ex principijs reuelatis. Cum conclusio differt ab actu fidei supernaturalis, tum quia fides mirum immediate testimonio diuini, conclusio verò Theologica nititur immediate principijs reuelatis: & remotè testimonio; tum etiam quia fides supernaturalis non assentitur vi discursus, & illationis Sylogistica, quæ humanum quid est; sed vi testimonij, & simplicis connexionis rei reuelatæ cum reuelatione diuina; quam connexionem Deus ipse facit testificans, ita ut totum fidei motuum sit planè supernaturalis & diuinum. At conclusio Theologica est assensus datus vi illationis, ex eo scilicet quod conclusio cum præmissis bene coheret, sacundum formam rectè argumentandi; v. g. fides supernaturalis sic assentitur: Quia Deus dixit se esse trinum, trinus est. In quo non est discursus formalis; sed vnica propositio complexa, similis illi; Quia scilicet dicitur est. Theologia verò sic ratiocinatur: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus sunt tres personæ, 1. Ioan. 5. v. 7. Sed Deus est Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, 1. Ioan. 5. & 2. Cor. 1. 6. & 12. alijsque locis. Ergo Deus est tres personæ. Quæ de re plura in tract. de Fide.

Cum autem principia reuelata, ex quibus inferitur conclusio Theologica, cognosci possint tum actu naturali, tum supernaturali fidei, vt initio diximus: dubitari potest an actus fidei supernaturalis ingrediatur in discursum Theologicum, impellendo ad assensum conclusionis ex illis deductæ. Ratio dubitandi est primò, quia conclusio Theologica est actus naturalis. Ergo assensus fidei supernaturalis non debet in illum influere. Secundò sequeretur aliquando fidem supernaturalem impellere ad falsum assensum, tum quis ex vno principio reuelato, & alio falso subsumpto, inferret conclusionem falsam. Propter hoc sunt qui existimant actum fidei supernaturalis non influere in conclusionem Theologicam, sed tantum actum fidei naturalis. At hoc immeritò asseritur. Nam licet actus illi differant secundum substantiam; tamen vterque valet, vt eius vi intellectus assentiatur naturæ per conclusionem propter præmissas, firmâ & certâ fide, siue diuinâ, siue humanâ, creditas. Penim intellectus per actum supernaturalem æquè cognoscit præmissarum veritatem per se connexionem cum veritate conclusionis, & tendentem ac ducentem per se ad illius assensum, quemadmodum patet experientiâ. Intellectus enim nõ discernit differentiâ actus naturalis & supernaturalis, cum assentitur eidem planè obiecto; sed simili modo per vtrumque assentitur. Ergo simili modo per vtrumque assensum præmissarum mouetur ad assensum conclusionis.

24. An actus fidei influat in actum Theologicum.

Ad primam autem rationem dubitandi, Respondet, actum conclusionis Theologicæ esse quidem naturalem, quia non fit ab intellectu eleuato supernaturaliter, sed vi naturali, vel arte humana discurrenne ex principijs reuelatis, eodè modo quo discurret ex alijs præcognitis: verum si actus supernaturalis valet ad habitum naturalem producendum, vt ostendimus sect. sequenti; mirum esse non debet, quòd impellere possit ad assensum naturalem conclusionis Theologicæ. Imo id planè necessarium est, cum supernaturalis assensus præmissarum æquè ducat & determinet ad assensum conclusionis: nec magis stare possit cum dissensu illius, & notitiâ bonæ illationis syllogistica.

Ad secundam, nego sequelam: nam veritas præmissæ de fide non est per se connexa cum conclusione falsa, nec per se tendit ad illius assensum. Assensus quoque supernaturalis fidei non impellit per se ad assensum falsum: sed per accidens intellectus ex mala ipsius applicatione, & connexionem tum assensu falso, sumit occasionem assentiendi conclusioni

25.

Ad primam autem rationem dubitandi, Respondet, actum conclusionis Theologicæ esse quidem naturalem, quia non fit ab intellectu eleuato supernaturaliter, sed vi naturali, vel arte humana discurrenne ex principijs reuelatis, eodè modo quo discurret ex alijs præcognitis: verum si actus supernaturalis valet ad habitum naturalem producendum, vt ostendimus sect. sequenti; mirum esse non debet, quòd impellere possit ad assensum naturalem conclusionis Theologicæ. Imo id planè necessarium est, cum supernaturalis assensus præmissarum æquè ducat & determinet ad assensum conclusionis: nec magis stare possit cum dissensu illius, & notitiâ bonæ illationis syllogistica.

falsa. Falsum enim per se non sequitur nisi ex falso & verum per se non tendit & inclinatur nisi ad verum; per accidens vero detorqueatur ad falsum.

26  
D. Thomas. An Theologia sit cognitio discursiva.

Ex dictis patet solutio quæstionis propositæ a D. Thom. q. 1. a. 8. an Theologia sit tantum cognitio declaratiua, an etiam discursiua & ad hæc sua conclusioni propter sua principia. Liquet enim in Theologia non tantum haberi cognitionem declaratiuam sine assensu, vt sic dicitur intelligitur paulatim aliqua opinio, quæ tam bene percepta iudicatur falsa: aut cum per declarationes quasdam datur color & apparentia alicui rei, quæ tamē nō sufficiat ad assensum, propter difficultatē rei in se, aut propter aliud impedimentum: sed vltimū per syllogismos ductos ex articulis fidei, aut ex aliis principiis è naturali ratione adfectis, gigni assensum conclusionum, & inde acquiri habitum ad hæsiuum, vt contra Aureolum docent Okam. Greg. Gabr. Maior, alique in prælogo, quos sequitur Vasques disp. 5. cap. 2. & 3. nisi quoddam assensum ex rationibus certis, sed obscuris, non debere dici fidem, sed potius opinionem: & ad fidem propriè dictam, sive infusam, sive acquisitam, requiri testimonium, cui nitatur immediate. Sed cum de nomine quæstio sit, ego loquendi modum eorum magis probō, qui per certitudinem, eadem distinguunt ab opinione, sicut scientia generatim per euidenciam distinguitur a fide & opinione: ita vt fides generatim sit quæuis cognitio certa sed obscura; sive ex testimonio deducta, sive non.

Vasquez.

27

Disputant hic aliqui, an conclusio Theologica deducta ex principiis reuelatis, vel ex vno reuelato, & altero non reuelato, sit de fide. Sed hæc difficultas in tractatu de fide commoūius examinabitur. Ibidem etiam ostendemus actum, quo syllogizādo assentimur conclusiōni Theologicæ ex quibuscumque principiis deductæ, sive purè reuelatis, sive aliis, non esse supernaturalem substantiam, sicut est actus quo per fidem assentimur sicut oportet diuinis reuelationibus. Quia ille actus syllogisticus non producitur à fide supernaturali: neque ad illum eliciendum datur à Deo alius habitus supernaturalis, neque auxilium supplens defectum habitus.

SECTIO IV.

De habitu Theologico.

28  
Habitus naturales producuntur per actus etiam supernaturales.

Ex dictis de obiecto & de actibus Theologia, multa de eius habitu facile intelliguntur. Nam actus intellectus gignunt habitus naturales sibi proportionatos circa obiecta quæ attingunt per se. Quod etiam verum est de actibus ipsis supernaturales, qui non tantum dispositiue, sed et meritorie produciunt habitum supernaturalem sibi correspondentem; verum etiam vna cum potentia

naturali, quæ in illis eliciendis non minus vsitatur & exercetur, producit physicè habitum naturalem, quo potentia vsitata inclinatur & facilitatur circa partem obiecti quam attingunt, vt rectè docent Molin. quæst. 1. artic. 3. disput. 3. in fine, Bergomens. in concordant. locor. D. Thomæ dub. 697. Aegid. Conink disput. 7. de actib. supernat. dub. 3. Azor tom. 1. lib. 3. cap. 2 r. qu. 3. & confirmat experientia, quata potest haberi in eiusmodi rebus supernaturalibus: experimur enim nos acquirere facilitatem ad actus fidei, spei, & charitatis, cum intensius & frequentius illos exercemus: sive exercemus supernaturales, sive naturales: & alioqui discernemus euidenti experientia actus supernaturales à naturalibus: quando scilicet videremus nos nullam acquirere facilitatem illos frequenter & intesè exercendo. Hinc sequitur præter habitum fidei supernaturalis, qui Theologia latè sumptæ ambitu comprehenditur, alium esse multiplicem habitum naturalem Theologicum: partim scientiam, partim opinionem, partim fidem quam vocant acquisitam, vel humanam, seu cognitionem mediam inter scientiam & opinionem. Item partim illatiuum conclusionum quæ cognoscuntur per principia ex quibus deducuntur, partim per modum intellectus seu intelligentiæ primorum principiorum, versantem circa prima principia non cognita per aliud. Neque enim in Theologia, vt nec in quavis alia disciplina, cognoscitur vnum per aliud, & hoc item per aliud, & sic deinceps in infinitum: sed in quibusdam vt per se notis sistitur. Item partim ad hæsiuum, partim declaratiuum, partim practicum, partim speculatiuum: ac denique pro magna varietate actuum, magna quoque esse diuersitatem habitus Theologicorum: qui tamen omnes vnum totalem, connexionem quadam morali & artificiali coordinatione componant, quatenus referuntur ad idem obiectum totale, vnum quodammodo, propter vnam communem rationem formalem, nempe diuinam reuelationem sub qua quodammodo considerantur omnia. Iuxta doctrinam D. Thom. artic. 3. & communem sententiam Philosophorum huius temporis de vnitatem scientiarum naturalium.

Habitus Theologicus est multiplex.

29

Circa Theologiam verò strictè sumptam pro cognitione discursiua ex principiis reuelatis, tria præcipue quæstiones sunt. Primo, an sit propriè scientia? Secundo, an sit vna simplici vnitatē? Tertio, an sit formaliter speculatiua & practica, an tantum eminen-

Vasquez. Theologia strictè sumpta non est propriè scientia.

Circa primum sciendum est cum Vasquez disp. 4. cap. 6. 7. & 8. Theologiam sciam qualis in nobis est, cum sit obscura & inuidentens, quia procedit ex obscuris & inuidentibus, non esse verè ac propriè scientiam. Etenim cognitio discursiua, vt sit verè ac propriè scientia, debet esse cognitio certa & euidentens ex principiis euidentibus per euidentem consequentiam parua, qualis non est.

est Theologia de qua loquimur. Loquimur enim de Theologia nostra, seu viatorum, quibus revelationes inveniuntur factae sunt: unde sequitur, ut quae deducimus ex illis, sint obscura. Conclusio enim sequitur debiliorem partem: nec nunquam potest esse plus evidentiae, vel certitudinis, aut probabilitatis in conclusione, quam in praemissis, ob quarum evidentiam, certitudinem, aut probabilitatem, datur assensus conclusioni tanquam illis connexae.

30. Nec satis est quod obijciunt aliqui, principia Theologiae, nobis licet obscura, esse nota euidenter Beatis; sicut principia Musicae sunt euidenter nota Arithmeticae; ideoque Theologiam nostram esse proprie scientiam, sed subalternatam scientiae Beatorum: sicut Musica est scientia subalternata Arithmeticae. Etenim ad scientiam proprie dictam necessarium est, ut principia sint euidenter nota ei, qui scire dicitur; & impertinens est, quod sint alteri euidentia, si ipsi non sint. Neque Musica est scientia respectu illius qui non attingit euidenter eius principia, quae, ut euidenter nota, sunt in obiecto conclusionis scientificae musicae, tanquam ratio formalis illius: sicut praemissa sunt ratio formalis obiecti conclusionis scientificae ex illis deductae. Ac quemadmodum quaelibet scientia conclusionum includit necessario cognitionem principiorum, sine qua esse non potest: ita scientia subalternata includit superiorem, a qua pendet euidentia, sine qua non est scientia. Iam vero scientia Dei & Beatorum non est in nobis, nec includitur in nostra Theologia: Quare Theologia nostra non est scientia propter scientiam Dei vel Beatorum. Et quod apparet in contrarium ait D. Thom. quod 1. artic. 2. de scientia minus proprie dicta pro cognitione certa quidem, sed non euidenter, intelligendum est.

D. Thom.

31

Bañez, Aristot.

Theologia est, praeputa sapientia.

Sed instat Bañez ad art. cit. Omnis virtus intellectualis vel est sapientia, vel intellectus, vel scientia, vel prudentia, vel ars, ex Aristot. 6. Ethic. cap. 3. Sed Theologia nihil istorum est, si non sit scientia: ergo &c. Responderi potest primo ex doctrina D. Thomae artic. 6. in corp. Theologiam strictè sumptam, & fidei supernaturalis principis innixam, esse sapientiam, & quidem in omnibus sapientias humanas simpliciter ac summè sapientiam. Nam si sapiens ille dicitur in vnoquoque genere, qui considerat causam a se ipsa, in illius generis, quae per illam ordinatur & indicat & inferioribus; ac si vniuersim in genere totius vitae humanae sapiens ille dicitur, qui ordinat actus humanos ad debitum finem: ille simpliciter & maxime sapiens dici debet, qui considerat simpliciter altissimam causam totius vniuersi, quae est Deus, & ad illam, v. finem, actus humanos ordinat. Hoc autem facit Theologia, quae de Deo praecipue tractat: nec solum ea considerat quae ratio naturalis investigare potest, quaeque

Colinus I.

Philosophi naturae duce cognouerunt: sed & alia plurima à Philosophis & sapientibus huius mundi penitus ignota, quae soli Deo naturaliter sunt nota, & aliis per reuelationem communicata: ideoque Theologia omnem humanam sapientiam excedit. Responderi secundo potest, Aristot. non numerasse omnes virtutes intellectuales, sed illas tantum quas nouerat: non nouit autem fidem diuinam, & Theologiam illi innixam. Tertio dici potest, Aristot. nomine virtutum intellectualium non intellexisse omnes bonos habitus intellectus, sed eos quorum nomina generatim & vniuersaliter inuoluunt veritatem in cognitione. Ideoque nec de fide, nec de opinione loquutus est: quia generatim loquendo, neque omnis fides est vera, neque omnis opinio: nulla vero cognitio falsa dicitur sapientia, vel intellectus, vel scientia, vel prudentia, vel ars; sed haec nomina sunt determinata ad significandas eas tantum cognitiones quae sunt verae, seu conformes obiecto.

Caietanus ad eundem art. 5. § Ad evidentiam, distinguit duplicem considerationem Theologiae nostrae. Vnam secundum se, aliam ut est in nobis. Priori consideratione dicit Theologiam nostram esse scientiam subalternatam scientiae beatorum, posteriori, ait non esse scientiam perfectam, quia principia non sunt nobis euidentia: sed esse tamen scientiam imperfectam, atque ita positus non esse extra scientiae latitudinem. Ad quod dicendum est, Theologiam nostram secundum se esse obscuram, quia procedit ex principiis inuidentibus, ut talibus: ideoque non esse proprie scientiam. Potest quidem abstrahi à Theologia nostra seu viatorum, & à Theologia Beatorum, ratio Theologiae communis & generica: at illa non est Theologia nostra, neque est proprie scientia; sed abstrahens à scientia, & à alia cognitione minus perfecta, qualis est nostra Theologia. Ne verum est quod addit Caiet. Theologiam nostram, secundum se spectatam, subalternari Theologiae Beatorum, indeque trahere rationem scientiae perfectae. Etenim scientia proprie subalternata alteri, includit in sua perfectione rationem illius, eique aliquid addit. Et quemadmodum scientiae conclusionum includunt in sua perfectione cognitionem principiorum, per quae cognoscuntur: sic etiam scientiae proprie subalternatae includunt in sua perfectione rationem earum, quibus subalternantur, & à quibus euidentiam hauriunt. At nostra Theologia, secundum se non ita se habet ad Theologiam Beatorum, quin potius ipsius perfectionem & euidentiam excludit, cum intrinsecè obscura sit, aequè ac fides cui innititur. Eodem argumento refelluntur Bañez, & si qui alij putant, non modo Theologiam, sed etiam quamuis aliam disciplinam, subalternari scientiae Dei.

32 Caietan.

Theologia viatorum non est proprie scientia secundum se; neque ut subalternata Theologiae Beatorum.

B

33.  
Bañez.  
Theologia non est vnus simplex habitus.

Circa secundam & tertiam difficultatem initio propositam, Caietan. Bañes & alij quidam ad art. 4. quest. 1. putant Theologiam strictè sumptam pro cognitione discursiua ex solis reuelatis, esse vnum simplicem habitum, eminenter practicum & speculatiuum, si practicum & speculatiuum sumantur cum illa imperfectione, quâ vnum dicit negationem alterius. Si vero sumantur sine illa imperfectione, pro facultate quomodocunque valente ad speculandum vel cognoscendum practicè, posse dici formaliter speculatiuum & practicum, quatenus valet ad cognoscendum speculatiuè & practicè. Fundamentum eorum præcipuum est, quia tota ratio assentiendi conclusionibus Theologicis strictè sumptis est reuelatio diuina, quæ vnica est, & eadem in omnibus. Ergo vnus & idem habitus. Ergo inadæquatè practicus & speculatiuus, supposito quòd reuelata, & quæ ex ipsis deducuntur, sint partim practica, partim speculatiua, vt vnde sunt.

34  
Reuelationes diuinae non sunt omnes eiusdem speciei.

At hæc opinio eiusque ratio improbabilis est. Nam reuelatio diuina, licet abstractè sumpta, sit genericè vna; specificè tamen est diuersa, prout diuersæ veritates reuelantur secundum se. Etenim reuelatio est essentialiter alicuius reuelatio, & reuelatio eius totius quod reuelatur secundum se, ita vt ad hoc totum habeat ordinem essentialem, ac pro eius diuersitate ipsa quoque essentialiter diuersa sit. Manifestum est autem veritates reuelatas diuinitus, tum speculatiuas, tum practicas, esse diuersas essentialiter: ergo &c. Deinde non tantum reuelatio diuina attingitur per actum fidei, vel conclusionis Theologicæ; sed etiam illud ipsum, quod reuelatum est, attingitur secundum se, prout quidem subest reuelationi, at non tantum secundum reuelationem, sed etiam secundum se. Sicut videtur albedo, verbi grat. proest quidem subest lumini, at non tantum secundum lumen, vel secundum rationem coloris abstractè; sed etiam specificè secundum propriam rationem, prout albedo est. Quare licet reuelatio diuina esset eadem essentialiter, non minus quam lumen, quo colores illustrantur, essentialiter idem est: nihilominus sicut visio albedinis est essentialiter diuersa à visione nigredinis, quia in obiecto habet aliquid diuersum essentialiter quod attingit secundum se: sic actus Theologici essent nihilominus essentialiter diuersi, quia in obiecto attingunt aliquid secundum propriam rationem essentialiter diuersam, hæc ipsa scilicet veritates reuelatas mediatè vel immediatè, diuersas essentialiter. Quia etiam de causa Valentini. Herice disput. 18. de voluntate Dei cap. 4. numero 3. merito asserit, actus etiam fidei differre essentialiter circa diuersa obiecta materialia secundum se cognita. Quia cum obiectum materiale in se & immediatè respiciatur, ita vt non se habeat per accidens ad actum, habet actus ordinem essentialem ad illud. Atque adeo mutatur in sua enti-

Herice.

tate, quoties obiectum materiale mutatur.

Iam verò actus diuersi essentialiter, tendentes ad obiecta adæquata essentialiter diuersa, producunt habitus realiter diuersos: nam vnusquisque producit habitum circa obiectum quod attingit: essentialiter determinatum ad illud; non autem circa obiectum aliud quod non attingit. Quare cum actus Theologici multi sint, & essentialiter diuersi; & ad obiecta diuersa adæquata determinati; non gignunt vnum simplicem habitum, sed multiplicem, partim practicum determinatè & adæquatè, partim speculatiuum, prout actus quibus producuntur, sunt determinatè & adæquatè practici vel speculatiui: partim etiam eminenter & inadæquatè speculatiuum & practicum, si vno & eodem actu attingat aliquis duplicem veritatem, alteram practicam, alteram speculatiuam: ex epli gratiâ, Deus est summè bonus, & summè diligendus. Quilibet enim istorum actuum parit habitum sibi proportionatum. Vnde qui, verbi causâ, de Christo nouit conclusionem aliquam speculatiuam ex per se reuelata, & circa illam speculatiuum habitum acquisiuit: ille dum postea de vtu penitentiae vel baptisimi conclusionem practicam elicit, & circa illam acquirit habitum practicum; non acquirit eundem. Nam acquirit habitum essentialiter ordinatum ad nouam veritatem, & ad nouum obiectum. Neque intendit præcedentem, qui erat specie diuersus, & circa aliud obiectum essentialiter: intentio enim debet fieri intra eandem speciem. Neque etiam extendit eundem habitum in sua simplicitate manentem & determinatione circa idem obiectum: sed potius nouum addit circa nouum obiectum: cum non minus virtutis habeat nouus actus ad habitum gignendum circa obiectum proprium; quam prior circa suum. Et quidem prior habitus per id quo prius erat ad vnum obiectum, non potest esse ad aliud ad quod non erat. Quare sicut habebat speciem per id quo erat ad prius obiectum: ita etiam erit alia species habitus qui erit ad aliud obiectum, ad quod modo non minus debet essentialis esse, quam ad prius. Quare per actum posteriore additur præter habitum habitus alius, & parte quæ est homogœnus & confamilis, sed ex parte quæ versus & alterius speciei à priori.

Ita scilicet, fidem supernaturalem esse vnum simplicem habitum, tendentem ad omnia reuelata, & inadæquatè speculatiuum & practicum. Respondeo id non idò esse, quia vnica reuelatio semper fit, aut eadem semper reuelata; sed quia per modum potentie inuenitur à Deo vnica, per se valens ad omnia reuelata, & intellectus valet ad omnia intelligibilia. Dispar autem est ratio de habitibus naturalibus, qui per actus acquiruntur, velut quædam facultates, & determinationes, ac propensiones potentie visitatæ, circa idem obiectum. Sicut dispar est

36.  
Fides Theologica est vnus simplex habitus.

ratio de charitate, aliisque virtutibus supernaturalibus & infusis, quæ in vna simplici entitate valent ad plurimos actus inter se diversissimos; & de virtutibus naturalibus quæ non habent eandem vim, sed vt patet experientiâ, multò angustiore & minus vniformem, iuxta difformitatem & diuersitatem actuum à quibus producuntur.

SECTIO V.

De Principiis ac locis Theologicis.

37

DE his pauca D. Thom. quæst. 1. artic. 8. 9. & 10. Plura Interpretes ad eisdem articulos, vel in tractat. de Analyfi fidei. Quæritur autem primò, quot sint? Secundò, quis eorum sit vsus? Tertio, quæ firmitas?

Quæ quot-  
vnt  
principia  
Theologi-  
ca?

Quoad primum: principia Theologica, seu loca, ex quibus argumenta desumuntur à Theologis, omnia generatim ad duo capita reuocari possunt; nimirum ad auctoritatem increatam vel creatam, & ad rationem naturalem nulla dicentis auctoritate subnixam. Maioris autem distinctionis gratiâ decem vulgò numerantur. Primum est, Verbum Dei scriptum. Secundum, Auctoritas traditionum Christi & Apostolorum. Tertium, Auctoritas Ecclesiæ Catholice. Quartum, Auctoritas Conciliorum. Quintum, Auctoritas summi Pontificis. Sextum, Auctoritas sanctorum Patrum. Septimum, Auctoritas Theologorum Scholasticorum, cui addi potest auctoritas aliorum qui attingunt res Theologicas. Octauum, ratio naturalis. Nonum, Auctoritas Philosophorum. Decimum, Auctoritas humanæ historiæ. His addit Gillius lib. 1. tractat. 7. cap. 1. Angelicam auctoritatem, cuius quia vsus rarissimus ac fere nullus est, ideo ab aliis communiter omittitur. Eâ tamèn vsa est V. Synodus generalis in recitendo cantu Trisagij ab Angelis recito vt notat idem auctor. cap. 10. tract. citati. Ex his autem septem priora sunt magis propriè Theologica; reliqua minus propriè, & ad seipsum tantum, siue ministerialiter requiritur Cajetanus. Excipio tamen historiâ, vel auctoritatem humanam, quæ vt nunciat acta Conciliorum, Ecclesiæ traditiones, hæreses contrarias, miracula, & cæteras rationes credibilitatis, aliaque huiusmodi propriè Theologica. Excipio similiter rationem naturalem, quatenus in testimoniis ipsius, vel moribus eorum expendendis versatur, aut in illationibus quæ ex illis deducuntur. Nam in fidei quoque assensu prudenter elicito, inest quidam rationis vsus; & cum etiam ex auctoritate mouemur ad assensum, hoc ipsum ex ratione est. Vt

August.

enim rectè Diuus Augustinus lib. de vera Religione cap. 24. *Neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratum cui sit credendum.* Nam hic etiam ratio locum habet, quatenus expendit auctoritatem dicentis, & motiua, num sint digna vt illis præbeat assensum.

Secundò, vsus horum locorum generatim est quadruplex. Primus, ad conclusiones ex ipsis deducendas: Qui vsus communissimus & notissimus est. Secundus, ad principia ipsamet alia ex aliis confirmanda, vel explicanda. Cum enim quis vnum principium è Theologicis admittit, potest ex illo cogi ad admittendum aliud. Vt Christus Matth. 22. ex Moysis auctoritate Exodi 3. vers. 1. à Saducæis concessa, resurrectionem mortuorum contra eosdem probauit, quæ tamen ipsa est articulus fidei, & vnum de principiis Theologicis. Sic contra Hæreticos, vel Iudæos, scripturas aliquas admittentes, argumentamur ad probandas alias, vel ad probandas traditiones non scriptas. Et contra Ethnicos, vel Atheos, qui nullas diuinas reuelationes admittunt, argumentamur ratione naturali, qua diuinarum reuelationum credibilitatem ostendimus. Tertius vsus est ad soluendas rationes contrarias, quæ si diuinis reuelationibus directè sunt oppositæ, tam est certum esse fallaces, quàm certum est, reuelationibus diuinis falsum subesse non posse. Cum enim fides infallibili veritati nitatur; impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, cum verum vero contrarium esse non possit: sequitur probationes quæ contra fidem adducuntur, non esse demonstrationes, nec veras ratiocinationes, sed, fallaces, & ad summum apparentes, ac solubiles, saltem negatiuè, id est, negando propositiones quæ non possint euidenter probari, quasque aliunde certissimè constat falsas esse & indemonstrabiles. Ac simul generalem aliquam rationem reddendo, vel ex disparitate inter res diuinas & creatas, vel ex generalibus fidei nostræ moribus, vt ostendatur, non imprudenter & sine causa negari. Quin etiam solui possunt positiuè euidenter euidentia credibilitatis, quatenus saltem possunt opposita mysteria euidenter ostendi credibilia, & rationibus in contrarium apparentibus præponderantia: quamuis non omnia quæ obijciuntur ab infidelibus contra fidei mysteria, possint à Theologis solui positiuè & euidenter euidentia simplici. Alioquin ostenderent mysteria Trinitatis, Incarnationis, & similia, esse euidenter vera. Qui enim ostendit euidenter propositionem aliquam esse falsam, ostendit euidenter contrarietati illius esse veram: cum euidenter sit è duabus contradictoriis vnâ esse veram, & alteram falsam. Legatur sanctus Thomas articulo 8. quæst. 1. vbi D. Thomas cum addit Theologiam non probare ma-

38  
Principio-  
rum seu lo-  
cum Theo-  
logic. vsu  
quadrup-  
plex.

Duplex  
via sol-  
uendi ar-  
gumenta  
infidelium.

B

principia Contra eos, qui nihil de diuinis reuelationibus admittunt; intelligendus est de Theologia sumpta strictè pro cognitione principiorum reuelatorum, & eorum quæ ex illis deducuntur. Nam alioquin, si latius sumatur prout complectitur principia naturalia, & humanam auctoritatem, & rationes credibilitatis quibus Deus ostendit se reuelare: non debent illi argumenta quibus utatur ad probandas reuelationes, aduersus eos qui nullas esse volunt. Quod verò idem sanctus Doctor ait artic. 10. ex solo sensu literali Scripturæ sacræ, argumentum Theologicum, id est, certum & efficax ad iolide probandum, desumi posse, non ex sensu spiritali seu mystico: intelligendum est nisi de sensu etiam mystico nobis constet.

Sensu scilicet præ mystico valere potest efficaciter ad argumentandum.

Vasquez. D. Aug.

Theologia multo creiores naturalis Philosophia.

Nam cum mysticus sensus sit etiam ex intentione spiritus sancti; cum de illo nobis constat, sicut in locis, ubi vel Christus Dominus, vel Euangelicus scriptor ipsum elicit; sine dubio non minus efficaciter argumentando inferuire potest, ac sensus literalis, cum vterque à veritate infallibili æquè proficiatur, vt rectè notat Vasq. disput. 16. cap. 5. post Alphons. à Castro, & D. August. Epist. 48. post medium. Quid autem sensus literalis, quidue mysticus sit, & quomplex, satis perspicue exponit D. Thom. quest. 1. art. 10. & nos alibi fufius hac de re disputabimus in tractat. de fide. Quartus denique vñs est ad errores plurimos, tum in morali, tum in speculatiua Ethicorum Philosophia corrigendos: vt mundi æternitatem: intelligentiarum numerum septenarium tantum, cælis mouendis necessarium: quod ex nihilo nihil fieri possit &c. Quorum falsitatem arguerunt Theologi sacræ traditionis monitu, & Dei ope: siue instantiis naturalibus datis, siue contrariis rationibus inuentis, siue simpliciter detecta falsitate per luminis naturalis applicationem.

39 Principiorum Theologicorum non est par auctoritas.

Tertio, horum locorum non est eadem firmitas & auctoritas. Sed Scripturæ quidem sacræ in quocunque sensu quem Spiritus sanctus presiderit, & cuiuscunque reuelationis diuinæ, seu scriptæ, seu non scriptæ, siue per Christum, siue per Apostolos traditæ, nec non Ecclesiæ vniuersæ in rebus fidei, & Concilij saltem Generalis, & Summi Pontificis ex cathedra loquentis, & rem de fide definiens, ac toti Ecclesiæ proponendæ, auctoritas infallibilis est, vt alibi probatur. At non sancti Patris, nisi quando eorum consensus vniuersis in re aliqua, vt de fide asserenda, à posteriori arguit hunc esse Ecclesiæ sensum, & illius propositioni æquiualeat, vel ab ipsâ commendatur vel approbatur. Nam aliqui ipsi per se non est infusa naturaliter, vel promissa diuinitus infallibilitas, vt illis aliis supra enumeratis: multo que minus Theologis Scholasticis, Philosophis, Historicis, & aliis, quorum auctoritas de se fallibilis est. Sed & principia reuelata diuinitus, quamuis in se siue obiectiue, tam cæta

sint, quàm certum est Deum nec falli posse, nec fallere: formalis tamen eorum certitudo respectu nostri pendet ab iis argumentis quibus Deus sufficienter credibile reddit se reuelare, nempe à miraculis & aliis operibus diuinis in confirmationem reuelationum factis. Quæ argumenta partem quandam testificationis diuinæ totaliter sumptæ & completæ constituunt. Cum enim dubium sit propter quæ Deo testificantur credimus: alterum, quia dixit: alterum, quia verax est. Hoc posterius per se communiter notum est iis qui Deum esse norunt, quamuis & hoc per miracula & Opera diuina aliquomodo reddi possit illustrius. At verò prius per se obscurum est, & vt credatur, indiget argumentis quibus fiat credibile Deum dixisse, tantò maioribus, quantò res fide Christianâ proposita sunt difficiliore. Neque enim tutum est sine euidencia, & sine argumentis, credere Deum dixisse: cum præter Deum, multi sint cum homines, tum Spiritus, qui possint fingere Deum loquentem esse. Neque conuenit, vt sine certo argumento tribuatur Deo aliquid per certum & indubium assensum, qualis est assensus fidei: quia sic est periculum tribuendi Deo aliquid quod sit ab illo alienum. Denique credere sine discretionem, & sine argumento sufficienti, aliquid esse à Deo, quod non est euidenter tale; malum est, cum sit per se expositum magno erroris periculo. Cuiusmodi autem, & quàm multa sint hæc argumenta, quibus certissime nobis constat tum veritas Christianæ religionis in vniuersum, & reuelationum quas diuinas esse prætendit: tum speciatim auctoritas infallibilis scripturæ, ac traditionum diuinarum, & Ecclesiæ, Conciliorum, Summi que Pontificis in dogmatibus fidei proponendis, quibus argumentis vt certis & infallibilibus Theologia nititur, non est hoc loco fufius exponendum, sed more & exemplo aliorum Theologorum reijciendum est in Tractatum de Fide.

Certitudo formalis reuelatorum pendet ab argumentis credibilitatis.

SECTIO VI.

De Necessitate Theologiæ

Suppono primo necessarium aliquando dici posse dupliciter. Primo absolute; quod nimirum est tale, vt ex se ipso, seu per se, & vi sue nature, essentia, & abstractrahendo à cuiuscunque alterius suppositione, non possit omnino non esse. Quo pacto Deus solus est ens absolute necessarium. Secundo, ex hypothesi: quod nimirum supposito aliquo alio, non potest non esse: quia in illo includitur, aut ex illo sequitur necessarium, vel habet etiam connexionem necessariam cum illo. Quo pacto si est homo, necessarium est vt sit animal: si est actio, est effectus: si vult homo vitam diu conseruare naturaliter,

40 Necessitas duplex: absoluta, & hypothetici.

alimentum est illi necessarium: si vult vitam æternam consequi, necesse est vt in gratia de- cedat ex hac vita mortali.

41  
Necessitas ex hypo- thesi est duplex: vna præcepti, altera neces- dij.

Suppono secundò, necessarium ex hypo- thesi in ordine ad finem aliquem consequen- dum, dici posse dupliciter. Primò, necessitate præcepti tantum. Secundò, necessitate me- dij. Prior necessitas est eius quod sine pec- cato omitti non potest scilicet & liberè, ab eo cui talis necessitas incumbit. Postè- rior est eius sine quo finis obtineri nequit. Inter quas duas necessitates duplex est dif- ferentia. Prima est, quod necessitas præ- cepti oritur ex iure alicuius superioris præ- cipientis & obligantis subditum pro iure suo. Contra quam obligationem non pos- test subditus facere scienter & liberè, sine peccato. Necessitas verò medij oritur ex connexionione illius rei cum fine; tali scilicet, vt nisi illo mediante finis haberi ne- queat. Quæ connexionio aliquando est ex ip- sa rerum natura: quemadmodum ex na- turali hominis conditione, alimentum est illi necessarium ad vitam diu conseruan- dam naturaliter. Aliquando autem ex li- bera voluntate & constitutione alicuius, à quo finis affectio pendet: quo pacto gra- tia finalis necessaria est ad gloriam con- sequendam, ex voluntate Dei, qui statuit gloriam non aliter tribuere, quamuis sim- pliciter posse aliter facere, neque natura ipsa gloria talem ordinem postulet. Et ad quædam beneficia Ecclesiastica obtinenda, pluribus in locis, nobilitas est ne- cessaria, ex voluntate fundatoris & institu- toris.

Distinc- tionem inter ver- que neces- sitates.

42 Altera differentia est, quòd ignorantia inculpabilis, vel impotentia, excusat à ne- cessitate præcepti: sed non excusat à ne- cessitate medij. Id est, non peccat con- tra præceptum is qui facit eius oppositum, ignorans inculpabiliter præceptum, aut im- potens ad illud seruandum hic & nunc: sed non assequitur finem, ille qui non ad- hiberet medium necessarium, quamuis ex ignorantia vel impotentia non adhibeat. Exempli gratiã: Infantes & infideles ne- consequuntur vitam æternam, licet ex igno- rantia, vel ex impotentia careant gratia fi- nali, quæ est medium necessarium ad il- lam obtinendam. Et homo breuè mori- tur, nisi sumat alimentum, quamuis non sumat ex impotentia, quia non habet.

43  
Necessitas medij & præcepti, quando coincidunt.

Suppono tertio, has duas necessitates ali- quando coincidere in vno & idem: & an- quando separari. Quædam enim, sunt ne- cessaria vtrique necessitate, medij simul & præcepti. Quædam alterà tantum, id est, medij tantum, vel præcepti dumtaxat. Ex- empli gratiã: colere parentes, reddere cuique suum, audire Sacram diebus festis, & similia, sunt tantum necessaria neces- sitate præcepti in ordine ad salutem. Baptis- mus verò est paruulis necessarius tantum necessitate medij ad eandem finem: non

autem necessitate præcepti, cuius infantes sunt incapaces. At verò adultis baptis- mus necessarius est vtrique necessitate. Et medij: quia sine illo in re vel in voto non possunt iustificari à peccato originali, & à mortalibus actualibus, quæ ante baptismum contraxerunt. Et præcepti: quia tenentur ex graui Dei præcepto salutem suam æternam, æque, & magis quàm pro- ximi, procurare, & adhibere omnia me- dia necessaria quæ pendent ab ipsorum li- bertate.

44  
Aliquis habitus Theologi- cus est ne- cessarius ad salutem ne- cessitate medij.

His præsuppositis, dico primò, aliquem habitum pertinentem ad Theologiam late sumptam esse omnibus, paruulis, æque ac adultis necessarium, necessitate medij ad sa- lutem æternam consequendam. Proba- tur, quia habitus fidei supernaturalis per- tinet ad Theologiam late sumptam, vt ostendimus sectione primã, numero se- cundo. Atqui sine tali habitu nemo sal- uari potest secundum legem à Deo posi- tam. Nullus enim potest consequi vi- tam æternam, nisi prius iustificetur, & in iustificatione seu gratia finali moriatur. At habitus fidei supernaturalis, est vel fun- damentum, vel pars iustificationis, vt de- finit Tridentin. sessione 6. capite 7. circa medium.

45  
Et aliquis actu adul- tis est ne- cessarius necessitate medij & præcepti.

Dico secundò, aliquem actum, perti- nentem ad Theologiam late sumptam, esse necessarium ad salutem, necessitate me- dij, & præcepti, adultis omnibus qui vt adulti iustificantur & saluantur. Proba- tur, quia Theologia late sumpta compre- hendit actus supernaturales fidei, quibus creditur Deum esse, & esse remunerato- rem bonorum operum. At illi actus sunt necessarii ad salutem talibus adultis, ne- cessitate medij, & consequenter etiam ne- cessitate præcepti, quia pendent ab eo- rum libertate, & tenentur illi ex præ- cepto facere quicquid pendet à sua libere- te, & ad salutem suam æternam neces- sarius est: Ergo &c. Minor probatur ex Apostolo Hebræo. vndecimo. *Sine fide impos- sibile est placere Deo. Accedentem enim ad Deum oportet credere quia est, & quod inqui- rentibus se remunerator sit.* Vbi sermonem esse de fide actuali, patet ex illis verbis, *Credere enim oportet: & ex reliquo textu il- lius capituli, in quo laudat actus fidei plu- rimum Sanctorum.* Patet etiam ex Tri- dent. sessione 6. capite 6. vbi loquens de actu fidei prærequisito ad iustificationem adu- ktorum per modum dispositionis, sic ait: *De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod in- qui- rentibus se remunerator sit.* Ex his sic argu- mentor. Nihil omne sine quo impossibile est placere Deo, est medium necessarium ad placendum Deo: & consequenter ad æter- nam salutem, quam nemo consequitur nisi Deo placeat, illique gratus sit. Sed si- ne illis fidei actibus impossibile est adultis

Trident.



supradictis placere Deo, iuxta Apost. Ergo. Probatur secundò, quia adulos iustificari ut adulos, est illis iustificari ut ratione utentes, & liberè consentientes. Consensus autem liber præsupponit cognitionem. Et hæc cognitio debet secundum Dei institutionem esse proportionata, tum statui viatorum in quo versamur, tum fini & formæ ad quam disponit, quæ est supernaturalis. Cognitio autem supernaturalis, quam Deus nobis communicat ad illum finem, est cognitio fidei: quæ in quantum supernaturalis, est proportionata fini & formæ ad quam disponit: in quantum verò est obscura & certâ dumtaxat, est proportionata statui viatorum: *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem, 2. Cor. 5. vers. 7.* An verò præter illa duo supradicta, quòd Deus sit, & quòd remunerator sit, aliquid amplius sit necessariò credendum necessitate medijs, vel ex necessitate præcepti, dicentis in tractatu de fide, ubi tota hæc assertio multò magis confirmabitur & illustrabitur.

46

Theologia simpliciter non est necessaria ad salutem singulis fidelibus.

S. August.

Dico tertio, solum illum habitum, vel actum, quem hucusque ostendimus esse necessarium, non esse nomine Theologiæ nuncupandum: adeoque ex dictis non sequi Theologiã esse singulis fidelibus necessariam ad salutem. Probatur, quia Theologiã nomine intelligitur quædam noticia habitualis, vel actualis, rerum diuinarum, maior & vniuersalior, quam sit illa quæ infantibus, vel simpliciter alijs fidelibus est communis. Quæritur à S. August. lib. 14. de Trin. cap. 1. *air, Theologia scilicet non polleat fidelis plurimum, licet fide polleant plurimum. Ibidemque ait, Quis scientia tribui illud tantummodo quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Quod manifestum est non ad omnes fideles pertinere. Confirmatur, quia alioquin omnes infantes baptizati, aut omnes fideles adulti, quantumvis rustici & ignari, essent dicendi Theologi: Quod est absurdum & iuratum. Hinc sequitur, Theologiã non esse singulis fidelibus necessariam ad salutem. Siquidem illis sufficit quod fide polleant habituali, aut actuali, aliquarum reuelationum diuinarum, quæ non est tanta, ut nomen Theologiæ mereatur, & propter quam non sunt illi habendi & dicendi Theologi.

47

Dico quarto, Theologiã esse singulis val-

de vtilem ad salutem: communitati verò Ecclesiæ esse necessariam, tanquam medium ad fidem conseruandam, & contra Hæreticos, vel infideles tuendam. Prima pars facilis est. Quò enim quisque plus habet notitiæ de Deo, & de medijs ad eum tendendi, de virtutibus, de sacramentis, & alijs huiusmodi; eò magis ac melius instructus est, ut Deum finem suum vltimum tandem possideat, in cuius æternam possessione per visionem, & fruitionem, salus nostra consistit. Secunda pars probatur, quia licet Deus alijs medijs potuerit fidem puram & integram conseruare contra insultus & insidias Hæreticorum & Infidelium, vel contra tentationes Infidelitatis à Dæmone immissas: Placuit tamen Deo hoc facere per Doctores quos in Ecclesia posuit, ut non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrine, in nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris: quemadmodum ait Paulus ad Ephesios 4. versu 14. hoc est, per homines de rebus fidei excellentem notitiã assecutos, qui eas possint accuratè populo Christiano explicare, & contra fidei hostes defendere, atque in Concilijs fidei controouersas agitare & definire, vel ad definitionem iurare & disponere. Quales præcipuè debent esse Ecclesiæ Prælati, iuxta illud Apostoli ad Titum 1. *Oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt argueret.* Per Theologiã autem, quam esse dicimus ad hunc finem necessariam, non intelligimus determinatè doctrinam illam peculiarem de rebus diuinis, quæ iam à multis sæculis certâ quadam & meliori methodo traditur in scholis, ab ijs Theologis qui Scholasticis nominantur, cuius methodi inuentor fuisse dicitur apud Græcos sanctus Damascenus, prælucente tamen sancto Dionysio Areopagita: apud Latinos, sanctus Anselmus, aut Petrus Lombardus Magister sententiarum: sed intelligimus, vel illam methodicam & scholasticam, vel aliam: quæ ante fuit in sanctis Augustino, Hieronymo, Basilio, Nazianzeno, aliisque Patribus; & in legimus ac Mosais prætoribus, & Regis doctoribus, & d. Noe, Noe, Abrahamo, Moysè, Aarone, & similibus.

Est tam valde vtilis singulis: communitati verò Ecclesiæ necessaria.